



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bonis Operibus Docto. Martini Lutheri Liber

Luther, Martin

Vuittemberge, 1521

VD16 L 7151

Sexto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33333

filiorum tuorum, pacem super Israel. Vbi autem sunt eiusmodi parentes? Vbi sunt de bonis operibus interrogantes? Huc enim nemo contēdit. Quare? Deus hoc ipsum præcepit, a quo diabolus abstrahit, & carnem & sanguinem. Non est speciosum. Ideo nihil valet. Hic cursitat ad S. Iacobum. Ille se vouet ad diuam virginem. Nemo vouet se ad gloriam dei & sese & suos liberos bene rectorum & eruditurum. Relictis quos dei mandato accepit in corpore & anima custodiendos, nititur & vult deo alibi vbi ei mandatū non est, seruire. Huiusmodi peruersis moribus nullus resistit Episcopus, hæc nullus reprehendit cōcionator. Imo propter auaritiam talia confirmant, indies plures peregrinationes, relationes sanctorum in diuos siue Canonizationes, indulgentias, nundinas, cōmmissantes. Deus igitur huiusmodi cœcitatibus misereatur.

SEXTO.

¶ Rursum parētes citius infernum non merentur quā in proprijs filijs, quā domi sue, quando eis desunt, eos non docētes, quæ superius dicta sunt. Quid em ipsi proficiunt si ieiunando, orando, peregrinando, & omnibus alijs operibus faciendis moriantur? Neque em deus eos de illiusmodi rebus, vel in morte vel in extremo iudicio interrogabit, sed exiget liberos ipsi commendatos. Hoc probat verbum Christi Lucæ 23. Filij Hierusalē, nolite flere super me, sed flete super vosipsas, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatae steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Quare autem sic conquerentur, nisi quod tota damnatio sua a filijs suis ipsis cōtingit, quibus si caruissent fortassis beati essent facti. Nimirum hæc verba merito parentibus oculos aperirent, ad intuentos filios suos spiritualiter, ne miseri pueri falso carnali parentum amore deciperentur, tanquā parentes vere honorassent, quod ipsis non irascitur, vel quod ipsis in populari ostentatione obtemperant. Quibus rebus eorum liberum arbitrium confirmatur & inualefcit, cum tamen dei præceptum ideo iubet parentes honorari, vt pueri destructo ipsorum libero arbitrio, humiles, modesti, & mites fiant. Sicut ergo dictum est in alijs præceptis, sic obseruanda, vt in primario opere proficiantur, sic & hic nemo sibi persuadeat suam institutionem & educationem liberorum per seipsam satis esse, nisi fiat fiducia gratiæ & fauoris diuini, ita vt homo de eo nihil dubiet, se in eiusmodi operibus placere deo. Ergo sint homini hæc opa nihil aliud nisi monumenta & exercitationes eius fidei, ad confidendum in deo, & ad habendam fiduciam ad eius gratiam & voluntatem benignam. Etenim sine hac fide, nullum opus neque viuunt, neque bonum vel acceptum est. Nam multi ethnicorum siue gentiliū liberos suos bene educauerunt, Sed eis id nihil profuit, propter incredulitatem suam.

Exercitium
fidei in hoc
præcepto.